



plane, in quo ingenii vires exerceremus, relictum videatur, tum incerta, nec satis accurate definita, licet per se haud difficilis atque obscura, quaestio est de conditione nominis ferendi: quae et olim apud Romanos tam liberae reipublicae, quam Caesarum temporibus, quibus nominum mutandorum licentia primum moribus in dies magis magisque inualuit, post etiam legibus diferte fuit indulta, vltimis voluntatibus crebro adscribi solebat, vti tot veterum scriptorum testimonia probant, et apud Germanos quoque non superioribus modo saeculis, praesertim ab equestri ordinis hominibus, testamentis saepe adposita fuit, sed recentiore etiam aetate, et in ipsa Saxonia nostra, ad hunc vsque diem vsu seruat. De qua tam variae sunt doctissimorum interpretum, tamque ab ipso iure nostro saepe discrepantes sententiae, vt, per hanc scribendi opportunitatem, operae pretium nos facturos existimauerimus, si de re nondum satis expedita, variisque interpretationibus valde perturbata, certi aliquid atque definiti in medium proferre possemus. Sunt enim, et fuerunt, qui hoc heredis instituendi genus, quo simul in nomen testatoris vocatur, tamquam adoptandi formam, iure ciuili proditam, considerandam esse censerent. Sunt alii interpretes, et hi quidem magni, atque nobiles, qui, quod maxime rem causamque continet, omnem omnino heredem nomen, quod ferre iussus est, sine vlla hereditatis iactura, recusare posse arbitrentur. Cuius quidem sententiae

tiae